



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Leges Ecclesiasticae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

- V. *Qui ordinatum vel alienigenam malignabit.*  
 VI. *Si quis ordinatus hominem occidat.*  
 VII. *Si quis clericus ligetur vel verberetur.*  
 VIII. *Si clericus se forisfaciat.*  
 \*proficere IX. *Si quis\* confiteri velit, & negaturet.*  
 X. *Ne quis occidatur in die dominica.*  
 XI. *Si liber festis diebus operetur.*  
 XII. *Si seruus operetur.*  
 XIII. *Si Dominus suus cogat eum.*  
 XIV. *Si liber legitimum ieiunium infringat.*  
 XV. *Si seruus hoc agat.*  
 XVI. *Si quadragesimale ieiunium infringatur.*  
 XVII. *Si quis Dei recta per vim superteneat.*  
 XVIII. *De coniugiis infractis.*  
 XIX. *De stupris.*  
 XX. *De virgine oppressa.*  
 XXI. *De vidua similiter oppressa.*  
 XXII. *De adultera.*  
 XXIII. *Qui plegium regis vel archiepiscopi vel aldermanni infringerit.*  
 XXIV. *Si quis excommunicatum vel utlagatum habet.*

*Edictum regis in opprimendis vitiis & augendis virtutibus.*

## P R O O E M I V M.

**H**ÆC est institutio legum sæcularium, quam communi sapientum meorum consilio per totam Angliam teneri præcipio. In primis volo vt iustæ leges erigantur, & iniustæ subuertantur, & omnis iniustitia quanta possumus obseruantia de finibus nostris farculetur & explantetur, & Dei iustitia modis omnibus exalteretur: & amodo reputetur omnis homo publica dignus reëctitudine, pauper, & quicumque diues sit, & eis iusta iudicia iudicentur.

## LEGES ECCLESIASTICÆ.

## I.

Si quis peccauerit, & seipsum profunde forisfaciat, temperetur in eo iustitia, sicut erga Deum sit clementius, & in sæculo tolerabilius: & multa sedulitate cogitet qui ius habet in iudicio, quid sibi postulet a Domino dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus: Et non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Math. 6. Psal. 142.

Prohibemus ne Christianus aliquis penitus pro parua re saltem ad mortem seducatur: sed exquiratur pro necessitate populi iustitia pacificans, ne pro leui re dispereat opus manuum Dei, & suum ipsius præcium quod profunde redemit.

## II.

Præcipimus ne Christiani passim in exilium vendantur, vel in gentilitatem, ne forte pereant animæ quas propria voluntate mercatus est Dominus noster Iesus Christus: & totis viribus semper mundare patriam studeamus in finibus eius, & ab immundis operibus circumquaque cessemus.

## III.

Et si sagæ vel incantatrices, veneficæ vel meretrices, alicubi compareant, expellantur a finibus nostris, vel in eis pereant, nisi cessauerint, & profundius emendent. Præcipimus ut <sup>\* id est</sup> vwithersacan & vtlagæ Dei & hominum patria <sup>iure di-</sup> exeant, si non resipuerint, & digne pœniteant. Fures, & <sup>no & la-</sup> eiusmodi damna populi propediem pereant, si non con- <sup>culci-</sup> quiescant. Omnem quoque gentilitatem modis omnibus <sup>proci-</sup> interdiciamus. Gentilitas est, si quis idola colat, id est gen- <sup>pi-</sup> tilium deos, solem, aut lunam, ignem, vel fructus, aquas fontium, vel lapides, vel alicuius generis ligna, vel <sup>\* id est</sup> vvic- <sup>veni-</sup> cencreft diligat, vel mortificia quoquo modo suscipiat, <sup>cia-</sup> aut in forte, aut in <sup>\* id est</sup> firhte, vel in similibus phantasiis, vel <sup>accidit</sup> præstigiaturis aliquid agat. <sup>relin-</sup>

## IV.

Si quis ministrum altaris occidat, vtlaga sit erga Deum & homines, nisi dignis satisfactionibus veros pœnitentia fructus ostendat, & erga parentes eius emendet, vel <sup>\* id est</sup> vve- <sup>capit-</sup> relada se adlegiet, & infra triginta noctes hoc incipiat apud <sup>in nob-</sup> Deum & homines super omne quod habet. <sup>piet-</sup>

## V.

Si quis ordinatus vel alienigena seducatur in aliquo de pecunia vel vita, sit ei rex pro cognatione & aduocato, si penitus alium non habeat, & emendetur regi sicut iustum est, vel illud factum nimis profunde vindicet. Christiano regi iure pertinet, ut Deo factas vindicet iniurias secundum quod acciderit.

## VI.

Si quis minister altaris hominem occidat, vel malis actibus supra modum differatur, ordine simul & dignitate priuetur, & peregrinetur sicut ei papa suus iniunget, & opus emendet sedulo. Si se purgare velit, tripliciter hoc faciat: & si non infra triginta noctes hoc incipiat erga Deum & homines, extra legem habeatur.

## VII.

Si quis ordinatum aliquem verberibus, aut vinculis, vel aliquatenus affliget, emendet ei sicut rectum sit, & episcopo emendationem altaris secundum dignitatem ordinis, regi vel domino plenam infractionem pacis aut plena lada neget.

## VIII.

Si ordinatus se forisfaciat in morte plectendis actibus, capiatur, & seruetur episcopi iudicio discutiendus secundum quod factum sit.

## IX.

Si quis morti damnatus confessionem habere desideret, nunquam defendatur ei. Et si quis ei perneget, emendet regi centum viginti solidos, vel se allegiet, & sumat quinque, & idem sit sextus.

## X.

Et, si vitari possit, nunquam occidatur aliquis die dominica morte forisfactus, nisi fugiat vel repugnet: sed capiatur, & seruetur donec festum transierit.

## XI.

Si liber festis diebus operetur, emendet hoc secundum suum \*healsfang, \* & saltem erga Deum emendet sedulo, sicut edocebitur.

## XII.

Si seruus operetur, \* corium suum perdat, vel triginta denariis redimat secundum quod factum erit.

## XIII.

Si dominus cogat seruum suum festis diebus operari, ipsum seruum perdat, & deinceps sit liber, & soluat dominus lahslit cum Dacis, \* vvitam cum Anglis secundum facti meritum, aut neget.

## XIV.

Si liber legitimum ieiunium infringat, reddat lahslit cum Dacis, vvitam cum Anglis, secundum quod acciderit. Malum est vt tempore ieiuniorum ante horam comedat, & adhuc deterius vt carnis cibo quis seipsum inquinet.

## XV.

Si seruus hoc efficiat, corium suum amittat, sicut factum est.

## XVI.

Si quis aperte quadragesimale ieiunium frangat, per

\* id est,  
pena ob-  
stricti  
colli.

\* id est,  
vapulet,

\* id est,  
violata  
legis per-  
nam.

\* id est,  
multam

pugnam, vel concubitus, vel per aliquod summorum criminum, sit hoc duplo corrigendum, sicut in summis festiuitatibus secundum quod factum erit. Si negetur, triplici lada fiat.

## XVII.

Si quis Dei rectitudines prohibeat, soluat lahslit cum Dacis, plenam vvitam cum Anglis; vel se adlegiet. Assumat quindecim, & idem sit decimus sextus. Si aliquem vulneret, hoc emendet, & reddet plenam vvitam domino, & ab episcopo manum suam redimat, vel amittat eam. Si aliquem occidat, sit vtlaga, & capiat eum cum clamore omnis qui rectum velit. Si efficiat vt occidatur, per hoc quod contra rectum resistat; si hoc inueniatur, inultus iaceat.

## XVIII.

Si quis adulterium faciet, emendet secundum quod factum sit. Malum adulterium est, si sponsus cum vacua fornicetur, & multo peius cum sponsa alterius, vel cum ordinata.

## XIX.

Si quis cum \* pertinente sua iaceat, emendet hoc secundum cognationis modum, sic vvera, sic vvita, sic omni pecunia. Non est æquale si quis cum sorore sua concubat, & fuerit de longe pertinens.

## XX.

Si quis violenter virginem opprimat, vvera componat.

## XXI.

Si quis viduam per vim capiat, vvera emendet.

## XXII.

Si mulier, viuente marito suo, faciat adulterium, & manifestetur, sit ad decus sæculi sibi ipsi, & habeat legalis maritus eius omne quod ipsa habebat, & ipsa perdat nasum & aures. Et si compellatio sit, & in emundando miseueniat, sit in episcopi potestate.

Si quis vxoratus fornicetur cum ancilla sua, perdat eam, & pro seipso pœniteat erga Deum & homines. Et qui sponsam & concubinam simul habebit, non faciat ei presbyter aliquid rectitudinum quæ Christiano fieri debent, priusquam pœniteat, & ita emendet sicut episcopus iniunger, & semper deinceps super his abstineat.

Alieni-

Alienigenæ, si concubitus suos dirigere nolint, extra patriam cum peccatis & pecunia recedant.

## XXIII.

Si quis plegium regis frangat, emendet quinque libras: si quis archiepiscopi vel comitis, tres libras emendet.

## XXIV.

Si quis excommunicatum vel vtlagatum habeat, & manuteneat, desperatio sibi est, & omni veniæ suæ. Et si quis ab iniustitia velit reuerti ad rectum, remittatur ei pro timore Dei, sicut melius poterit, & faciamus sicut nobis expedit. Succurramus semper ei primitus qui magis indiget: tunc metemus inde mercedem nostram vbi nobis carius erit. Quia semper debet impotenti pro Dei timore & amore clementius iudicari quam forti. Sane possumus scire, non potest debilis cum strenuo pariter. Vnde meditari debemus, & distincte discernere senium & iuuentutem, felicem & infelicem, sanitatem & infirmitatem, & vtrobi- que debet hoc diligenter aduerti tam in diuinis legibus, quam in sæcularibus iudiciis. Item in multis quando aliquis coactus peccat, magis veniale est, si necessitate fecit quod fecit. Et si quisquam agit aliquid impossibiliter, non est omnino simile, si voluntarie faciat.

ANNO CHRISTI 1029. <sup>a</sup> CONCILIVM LEMOVICENSE I.

QVO DECLARATVM EST MARTIALEM Lemouicensis sedis auctorem episcopum apostolicum esse nominandum: eiusdem corporis eleuatio facta fuit anno Domini MXXIX. tempore Ioannis papæ XVIII.

## NOTA.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Hanc Synodum celebratam esse anno Christi 1029. <sup>Tempus Concilii.</sup> acta Lemouicensis Concilii indicant his verbis: *In primo anno dedicationis huius Lemouicensis basilicæ Redemptoris nostri, &c.* Dedicatio autem eiusdem ecclesiæ (vt habetur in scripto chronico Goufredi monachi sancti Martialis) habita fuit anno 1028. Quæ in hoc Concilio gesta fuerunt continentur actione I. Concilii Lemouicensis II. sub Benedicto IX. infra.